

4633

U 27 Rara

2

# ORATIONES

IN

## SOLEMNIBUS ECCLESIAE EVANGELICAE

### IN MARCHIA INSTITUTAE

#### SAECULARIBUS TERTIIS

A REGIA UNIVERSITATE LITERARUM FRIDERICA GUILIELMA

BEROLINENSI

CALENDIS NOVEMBR. A. MDCCCXXXIX.

CELEBRATIS

HABITAE.

UNA CUM HYMNIS ISDEM IN SOLEMNIBUS

CANTATIS.



BEROLINI, TYPIS A. G. HAYNIANIS.

*August Dehlf Christian Twisten*

### CHORUS.

Veni sancte spiritus!  
Reple tuorum  
Corda fidelium,  
Et tui amoris  
In eis ignem accende!  
Qui per diversitatem  
Linguarum cunctarum  
Gentes in unitate  
Fidei congregasti.  
Alleluja!

## ORATIO

Rectoris magnifici,

DR. AUGUSTI TWISTENI, SS. Theologiae Professoris P. O.

Auditores nobilissimi, illustrissimi, amplissimi!  
Viri summe reverendi, consultissimi, experientissimi, clarissimi!  
Professores et doctores eruditissimi!

Collegae coniectissimi!

Cives academiae ornatissimi, carissimi!

Auditores omnium ordinum suo quisque loco spectatissimi!

Quae universitas nostra ante hos duos et viginti iterumque ante novem annos egit solemnia saecularia instaurationis sacrorum per Latheri theses imbuere summorum sensu bonorum, quae ex luce veritatis libertatisque evangelicae denuo orta perceperunt omnes, non solum qui illa gaudent accepta, sed etiam qui repudiasse videntur oblatam. Qui vero hodie illuxit dies festus, quum bonorum illorum ad nostram quoque urbem et provinciam

propagatorum memoriam revocet, hoc quoque nomine ut nobis gratulemur vel potius Deo optimo gratias agamus maximas, iure suo postulat. Nam sicubi emendatio ecclesiae patronos nacta est eos, qui aut externis tantum commodis vel libidibus pravisque cupiditatibus moti eius causam susceperunt, aut malis artibus, vi et sanguine eam sibi tuendam statuerent: ibi memoriae bonorum per eos recuperatorum admistum esse aliquid aegritudinis et moeroris necesse est. In Joachimo autem secundo electore, instauratae apud nos ad evangelii normam ecclesiae autore et defensore, quamplurima elucent, quae et uberrimam laudis gloriaeque materiam praebent, et egregium ad imitandum exemplum proponant, ex quo optime disci possit, quemadmodum opus praeclarum, cuius ille firmissima fundamenta sapienter iecit, et integrum servetur, et ad summum perfectionis gradum perducat. Quae cogitatio nostris maxime convenire videtur temporibus. Quibus non contigit, ut partis bonis otiose fruerentur, sed quibus impugnata defendenda, deminuta supplenda, imperfecta absolvenda sunt.

Sed Joachimus princeps quibus causis impulsus trecentis abhinc annis ad ecclesiam evangelicam publice accesserit, quibus usus consiliis tueri illam commodisque eius prospicere per totam vitam conatus sit: quae denique ad ecclesiam Brandenburgensem constituendam et regendam meditata sit, praeeperit, gesserit: ea persequi singula longum est, neque cuiquam, quae hoc loco proferri possunt, satisfacerent rerum illarum sive gnaro, sive minus adinvare nosque ad imitandum excitare posse videantur.

Ac primum quidem, etsi natura ita ferre videtur, ut sua quisque in agendo persuasione ducatur: tamen qui sunt hominum mores, quae principum conditio, non solum commemorandum sed etiam praedicandum videtur, quod ille ad causam evangelii suscipiendam nulla re magis permotus est, quam certissima persuasione, quam sacris libris diligenter legendis, assidue de rebus divinis cogitando, usu denique vitae atque experientia sibi paraverat. veram esse evangelicam doctrinam et id, quod eius et fundamentum et summum est, peccatorem gratis per solam fidem coram Deo iustificari. Quum enim nihil magis nostra interesse intellexisset, quam ut de sua quisque salute certus esset, ut sua non aliena fide niteretur: ad

senectutem usque plurimum operae ac studii in rebus divinis investigandis et perquirendis consumsit, ut multis constat non solum scriptorum testimonio, sed ipsius, quae adhuc leguntur, documentis. Qui quanto pluribus et gravioribus rationibus ab ea, cuius memoriam celebramus, doctrinae evangelicae publica professione avertebatur, (quas Lutherus ipse in epistola ad eum scripta agnovit,) tanto clariore oportet existimare mentem eius veritatis luce collustratam, tanto firmiore conscientiam persuasionem eius veritatis fuisse, ut diutius celare animum ac fidem non posset.

Neque tamen Joachimus in vulgarem illum errorem incidit, ut, quae ipse pro certis haberet, aliis, qui suo imperio essent subiecti, obtruderet: universa potius ageudi ratio, idque ipsum, quod diu doctrinam evangelicam profiteri dubitavit, ostendit, quae ipse in rebus divinis perscrutandis et iudicandis libertate utebatur, eandem ceteris eum concessisse, ut suam quisque lueret conscientiam. Quod olim a Juris consulto quondam clarissimo dictum est, Germaniae principes, ecclesiae emendandae curam amplexos, non suas de ea re sententias tanquam leges, quibus populi obtemperarent proposuisse, sed doctrinae a concionatoribus suis, (ut Augustanae confessionis verbis utar,) e puro verbo dei in ditionibus ipsorum traditae, sanctissimisque civium iuris pro sua cuiusque intelligentiae norma Deum colendi extitisse defensores et patronos: hoc maxime in Joachimum electorem cadit. Quamobrem, repetitis demum civitatum provinciarumque precibus obsecutus, emendare ecclesiam aggressus est, tantaque indulgentia in eos, qui prisimo sacrorum statui adiecti manebant, usus est, ut facile appareret, non suam ab ipso potentiam suaeque decreta, sed propriam cuiusque fidem et conscientiam pro vero Christianae communionis fundamento haberi.

Contemplanti vero hanc principis indolem primum mirum videri possit, ritus quosdam ceremoniasque veteres ab eo tanta cum perseverantia esse retentas et servatas, ut, quamvis multi reclamarent, iique ipsi viri, quorum opera in perficiendo reformationis negotio utebatur quosque magni faciebat, contra niterentur: non ille moveretur tamen, ut, quae constituerat, rescinderet ac mutaret. Cuius constantiae cum plures fuisse causas videantur, nescio an gravissima haec fuerit, quod, nisi evangelio et veritate flagitante, (quae Electoris decretis laesa esse Lutherus ipse negaverat,) a

vetere religionis forma ac ratione recedere noluit. Summo enim studio et ardore unam Christi ecclesiam amplectebatur, verumque animi sensum declarabat, cum socero scriberet: illius etsi morbos deploraret, emendationeque optaret, consensum tamen verum se amplecti, neque unquam commissurum, ut ulla ab ea vi avelleretur. Itaque, ut societas et communio servarentur, quantum fieri potuit, quidquid longius a veteris ecclesiae consuetudine recedere videbatur, vitandum duxit, dum sacrae scripturae ne officeretur: omnia vero consilia controversiae dirimendae pacisque inter discordes ecclesiae partes componendae adiuvit. Quo studio incensus non solum in colloquio illo Ratisbonensi et interfuit ipse, et postquam de gravissimis rebus inter viros, qui ibi de fide ac religione disputabant, convenisse vidit, omnia tentavit, ut partes plane reconciliarentur: sed etiam, quum Lutherus, de adversariorum fide dubitans, ne quid detrimenti caperet vera doctrina, metueret, frustra que cum istis de pace agi diceret: id sibi negotii suscipiendum putavit, ut hunc adiret eiusque sive diffidentiam tolleret sive perversitatem vinceret. Qua in re quamquam eventu intelligitur. Lutherum non solum quaestionis rationem melius perspexisse, sed etiam de voluntate partium temporisque conditione rectius statuisse: principem tamen alioquin prudentissimum uno illo, quod alte animo imberbat, societatis et unitatis studio in errorem inductum esse, quis est quin videat? Quod quidem studium nunquam prorsus fuisse et inane dicemus, quia principis consilium, cum adversariorum erroribus pravaque voluntate, tum rei ipsius natura irritum factum est? Imo vero etsi ne nunc quidem sperandum est fore ut, Catholici qui dicuntur et Evangelici, ad edictum Caesari quinti Caesaris, quemadmodum sub uno Christo sunt et militant, in una etiam ecclesia Christiana concordēs consociatique vivant: utriusque tamen partis, catholicae non magis quam evangelicae, interest, ut suos utraque cives uno eoque firmissimo vinculo contineat, unamque efficiat Dei civitatem. Quamquam maior in evangelica disciplina inesse videtur huius rei difficultas, quippe quae ab omni vi ingenii inferenda abhorreat, et suam quemque animi certissimam persuasionem tenere iubeat. Itaque optime facturi esse nobis videmur, quum quaeremus, quid agendum sit, ut unitas illa in nostra etiam ecclesia condatur, servetur, perficiatur. Nam

hac ratione et principis illustrissimi memoriam egregie celebrabimus, dum eam rem, quam ille ardentissimo studio amplexus est, illustramus: et aliquam etiam ad nos utilitatem redundaturam esse speramus, re nostri temporis longe gravissima in disceptationem vocata. Quae cum tanta sit tantisque difficultatibus impedita, ut toti quaestioni hoc loco, his temporis angustiis circumclusi, satisfacere posse non videamur, unam liceat ex tantarum copia deligere, ut omissis, quod in constituenda et administranda ecclesia versatur, unitatis studio, de una fidei ac doctrinae disciplina dicamus.

Unitas ecclesiae quin sanctissimae religionis nostrae vi ac natura contineatur, vix est qui dubitet, nec minus constat, eandem ad vitam Christianam recte instituendam mirum quantum conferre. Unum enim, ut ait apostolus, habemus dominum Jesum Christum, unam fidem, unum baptismum: unum patrem, unum spiritum, unam spem. Quem vero fugit, hac unius ecclesiae et communione Christianae conscientia niti fidei firmitatem, spei veritatem, caritatis sinceritatem: hac in societate positum esse commune Dei cultum: hac denique una re, quicquid animorum viriumque coniunctione honesti magnique efficiatur, egregie adjuvari? Verumtamen accidit, ut ratione, qua unitatem illam plerique interpretandam et exhibendam esse statuerent, et singuli et universi affligerentur, multisque ecclesiam malis afficeretur. Nam cum omnis vita libertatem requirat: tum fieri non potest, quin ubertate sua privetur animi vita et religio, et inopia quadam laboret, ubi ad unam praeceptorum normam directa impeditur, quominus libere moveatur, et quamcumque desideret in partem quasi explicetur. Suam vero quisque mentem sequatur oportet, neque fas est quemquam, quominus sua conscientia ducatur ac regatur, prohibere, quum sua per vitam perfunditur eamque continet, nisi ex intima cuiusque persuasionis sententiam: non solum praeciditur animi libertas, et turpiter servit ingenium indignis quasi vinculis obstrictum: sed etiam maius religioni ipsi ac veritati imminet periculum, postquam eo ecclesia pervenit, ut nullo modo emendari posse videatur. Etenim quum unam illam disciplinae normam quocumque modo tuendam censeant: si quando a recta via aberratum est,

errores ipsi universae posteritati sequendi sunt, ut fieri omnino non possit ut in veram viam redeatur, sed infinita fraudis errorumque series gignatur: cuius rei exemplum et testis est theologia illa scholastica et universa ecclesiae conditio, quam eo tempore, quo vera atque antiqua fides restituta est, fuisse accepimus.

Ac videtur quidem huic malo subventum esse ea ratione, qua ex protestantismi natura ac praeceptis una ecclesiae societas constituebatur. Cum enim Augustana confessione doceretur, ad veram unitatem ecclesiae salis esse consentire de doctrina evangelii et administratione sacramentorum, nec necesse videri, ubique esse similes traditiones humanas: utrumque simul sanciebatur, ut et quicquid sacris libris traditum aut praeceptum non esset, libero hominum arbitrio permitteretur, et, quoscunque in errores disciplina incidisset, his tuto medela adhiberi et posset et deberet. Idem vero Joachimum censuisse constat, qui, quamvis a quibusdam veteris disciplinae institutis non videretur plane abhorre, discidiumque, quantum fieri posset, vitari vellet: hoc tamen ipso se novae doctrinae addictum probavit, quod universae ecclesiae consensus ita tantum retinuit, ut ex sacris libris sola nos fide iustificari docendum, et sacramentum ex Christi instituto sub utraque specie administrandum praeceperet. Itaque re alia nisi coena Domini sub utraque specie sumta, hoc ipso die, cuius memoriam solemnem agimus, novam sibi disciplinam probari professus est.

Sed quamquam hac ratione satis provisum erat, ne falsa ac perversa unitatis specie ad vim animis inferendam ecclesia abuteretur: nondum tamen certa quaedam via inventa erat, qua ad veram unius civitatis divinae societatem perveniri posset. Quid enim? Sacram scripturam eiusque praecepta vinculum illud esse voluerant, quo contineretur ecclesia. Verumtamen fieri non potuit, quin pro diversa sacrorum librorum interpretandorum ratione diversas doctrina quoque indueret formas speciesque. Itaque solis illis libris dissensiones componi non poterant, quamquam huius rei culpa nec in rationem ipsam, quam sequendam statuerant, nec in scripturam sacram referenda, sed ex falsa scripturae interpretatione repetenda est. Neque tamen ratione illa quicquam proficitur, quoad suo quisque iure tum demum

demum refutatus sibi videtur, cum perspicuis scripturae verbis se convictum esse fatetur.

Itaque factum est ut existerent, qui evangelicae disciplinae omittendum deponendumque esse totum illud communionis unitatisque studium putarent. Nimirum qui, summa cum acerbitate summoque cum odio evangelicam insectabantur ecclesiam, crimini illi dare non desierunt, eam nec unam esse nec ideo veram esse posse ecclesiam. Cuiusmodi criminationes cum restingui paululum et obsolescere ad tempus viderentur, inventus est inter illos qui diceret, quasi rebus nostris prospecturus optimeque consultus: ut Romanae ecclesiae esset ostendere, quid coniuncta efficere posset societas, sic evangelicae proprium esse, eo libertatis progredi, ut omnibus communionis vinculis solutus suum quisque coetus arbitrium sequeretur. A quo miror etiam coetus relictos esse, non singulorum potius hominum licentiam nullis legibus obstrictam tanquam summum huius rei fastigium praedicari. Quamquam quid mirum, ab adversariis haec et similia proferri? Quid quod inter ipsos Protestantibus extiterunt, qui talia probarent? Ne singulos commemorem, qui ita sentiunt: nonne eodem tere redeunt, quae de doctrinae professione Arminiani olim statuerunt, de regimine ecclesiastico Independentibus qui vocantur? Nonne nostris temporibus eandem opinionem civitates Americanae publice sanxisse videntur, ubi, nullam dum tueretur suamque esse religionem profitetur respública, cui libet se adiungendi sacro coetui vel etiam novam ineundi societatem ius plenum civibus perimitur; qua re declarari videtur, singulorum esse de rebus ad fidem pertinentibus statuere, salvaque libertate commune de iis iudicium vix posse ferri?

Neque tamen hanc viam inierunt, qui primi evangelicam Germaniae ecclesiam constituerunt eiusque tutelam susceperunt; sed quocumque emendata religio proferebatur, ibi et doctrina et cultus rerumque divinarum administratio certis legibus circumscribebatur. Itaque Joachimus princeps et ipse anno millesimo quingentesimo quadragesimo legem promulgavit, qua in electoratu Brandenburgensi et disciplina et ceremoniae constitutebantur; egregiam illam summaque laude dignam, cuius praecepta imprimis ea, quae

ad disciplinam et institutionem pertinent, non minorem veri cognitionem produnt, quam sapientiam in rebus, quae pietatem adiuvant, indicandis.

Neque tamen diu simplicia illa de doctrina praecepta sufficere videbuntur, cum praeter necessitatem popularis institutionis theologorum altiora studia incumbant ad sacros libros accuratius perscrutandos doctrinamque Christianam subtilius enucleandam. Tum vero fieri non potuit, quin discrimina auferent, praesertim cum multa accederent, quae studiorum cum novae sententiae ac rationes novaeque ex iis differentiae orirentur, interdum etiam ad errores probabebantur; quae temporarij iudicanda permittere, ut verae ecclesiae indoles atque ingenium, quicquid sibi adversaretur, refutare: nec studium sinceræ doctrinae servandae, quod ferebatur, homines exarserunt, nec denique adversarum partium clamores passi sunt, maximam esse Evangelicorum discordiam mutabilemque illorum doctrinam vociferantium. Quae inter certamina quanto studio quantisque laboribus cum ceteri principes tum Elector noster disciplinae atque institutionis unitatem tuiti sint, neminem fugit rerum sexti decimi saeculi haud omnino

Consilia vero, quae principes ceperunt, ut periculis imminentibus occurrerent malisque inde ortis mederentur, illo tempore fortasse sola fuerunt, quae perlici possent: optima certe et utilissima non sunt dicenda. Etenim cum initio sufficere visum fuisset, ut ecclesiarum antistites simplicibus praeceptis et consiliis ad usum optime accommodatis instituerentur: cum adversariis oppositae fuissent, disputandi quadam acritate et subtilitate conscriptis. Quae cum pro diversis auctorum ingenii, si minus rebus, at verbis tamen inter se differrent: illis collectis aliisque cum aliis compensatis corpora doctrinae composita sunt, quibus tradendae fidei non tantum capita summatim proponebantur, sed explicationes etiam praescribebantur, et forma docendi constituebatur, sed explicationes etiam praescribebantur, quid disceretur, veritati ipsi contradicere et adversari putabatur. Quum vero ne diligentissima quidem nec augustissimis fribus circumscripta inter-

pretandi illos libros ratione effici posset, ut eadem ab omnibus sententiae, eadem verba servarentur: novae deinceps praescribebantur doctrinae formulae, quibus certus quidam modus quaestionum solvendarum omniumque discriminum tollendorum proponebatur, donec tandem contigit, ut concordiae illa, quae dicitur, formula aliqua disciplinae Lutheranae unitas et pax per centum quidem quinquaginta fere annos constitueretur, libertas vero plane praecideretur, qua una pietatis ac religionis vim, vitam, ubertatem contineri diximus. Itaque factum est, ut talibus vinculis, quae hoc etiam molestiora viderentur, quod non, sicut in Romana fit ecclesia, quae hoc etiam dam opinione de divina ecclesiae auctoritate sublevabantur, impedita theologia existeret, quae quantis vitis laborarit, magis notum est, quam ut pluribus verbis mihi describenda videatur. Et intellectum est rerum eventum frustra hoc modo, ut disciplina una ac coniuncta in perpetuum servaretur, elaboratum esse. Proximis iam solemnibus saecularibus conciliis potuit, quod ex eo tempore accidit. Vincula quo graviora fuerant, eo violentius et vehementius a piis impiisque perfracta sunt et abiecta; iam fluminis instar, quod motes oppositas postquam perripit, longe lateque fluctibus agros inundat: tanta opinionum multitudo ac doctrinae diversitas, legibus illis symbolicis abolitis, tantoque cum impetu prorupit, ut vel fundamenta, quibus imposita erat emendata ecclesia, concuterentur: ut ne principis quidem Christianae religionis parceretur: ut qui in evangelicis, qui in Christianis coetibus verba faciebant, evangelium ipsum, Christi ipsius sanctissimas institutiones sublimiore, quae ipsis videbatur, doctrina impugnavit et, si fieri posset, subvertere non vererentur. Praeterierunt tempora illa funesta. Est quod Deo optimo gratias agamus maximas, quod alia et laetiora illuxerunt: quod pietatis ecclesiam tuentis sensus veraque evangelii doctrina hominum animos eo studio, eo amore deo imbuere coepit, ut veram atque antiquam auctoritatem quaerant, profiteantur, defendant. Sed quo magis etiam nunc certatur opinionibus, tanto maiore societatis desiderio capimur, quam ex ipsa ecclesiae natura proficisci intelleximus; idcirco viam rationemque circumspicimus, qua unitatem illam et nobis restituamus, et posteris confirmatam tradamus.

Quamquam negari non potest, non omnes videri hoc teneri desiderio. Immo sunt, neque exigua videtur eorum multitudo, qui nihil in hac ecclesiae conditione vituperandum putent; quorum hoc tantum interesse videatur, ut liberi nullisque legibus impediti quaestiones instituant. de iis disputent, sententias pronuntient: qui nulla re nisi usu ipso circumscriptam esse velint opinionum in medium proferendarum libertatem, qua prudentissimum quemque aptissime usurum esse confidunt; recte illi statuentes, si hac in studiorum solertia quaestionumque subtilitate aut unice aut maxime posita esset ecclesiae salus. Verum enim vero longe aliud in ecclesia quaeritur, longe alia res expeditur ab eius civibus, qui pietatis sensu cupiant imbui ac sublevari, scripturae auctoritate insitui ac confirmari, adhortationis gravitate admoneri ac suscitari, solatii et spei firmitate relici et recreari. Etenim qui malorum illecebris in tentationis discrimen adducitur: qui peccatorum onere graviter opprimitur, qui mortis appropinquantis sensu percutitur: is profecto non desiderat secum disseri, num sit post mortem alia vita, quid peccatum malumve sit, num Dei clementia preces ratas habeat: non dubitat de primariis Christianae religionis praeceptis, quae ab ecclesia pro certissimis sumi constat: id unum agit, ut eorum veritate commoveatur ac quasi perfundatur, ut, si forte dubitationis causas relictas in animo sentiat, ab eo, qui non dubitat, illae eripiantur. fidesque incerta ac suspensa confirmetur. Quid? ille ipse, qui hoc agit maxime, ut in verum inquirat rerumque causae penitus cognoscat: nonne sentiat necesse est, ad res, quas indagavit, confirmandas, ad vim et potestatem earum vere experiendam, ad fructus earum plene percipiendos longe alia re opus sibi esse quam repetitis quaestionibus novisque dubitationibus? per vitam ipsam imbuendum esse animum rerum divinarum notionibus: societate et impulsu eorum, qui eadem sentiant, infirmitatem suam sublevantem et corroborandam: communem quasi religionis pietatisque quandam aërem et spiritum a se requiri et expeti? Vindicat igitur suo sibi iure schola disputationis libertatem, gaudeat disceptationibus et certaminibus: ecclesia pacem postulabit, concordiam, persuasionis communionem, unitatem denique fidei et disciplinae.

Quo desiderio capti multi, ut id, quod requirunt, efficiatur, nulla alia ratione ac via utendum existimant esse, quam vetere illa, ut certis praeceptis circumscribatur fides ac disciplina, ut confessionibus librisque syn-bolicis obligentur cives, ut is demum in societatem ecclesiasticam excipiat, cui de illis persuasum sit, quivis denique alius excludatur, a docendi certe munere removeatur. Verum ista ratione num aliud quid eventurum putamus, atque antea evenisse vidimus? Immo ne is quidem eventus continget, quo prioribus temporibus fuerunt qui deciperentur. An quemquam fugit, ne adhiberi quidem posse veterem illam severitatem? Quotus enim quisque erit, ne dicam inter eos, qui a vera religione abalienati videntur; sed inter pios, inter vere Christianos, inter eos qui hodiernae evangelicae ecclesiae sal quasi habendi sunt: quotusquisque igitur reperietur, qui veterum illarum confessionum iugum vetere cum severitate imponi sibi patiat? Quotusquisque, ne dicam, concordiae formulae subscribet, sed Augustanae confessioni de omnibus doctrinae capitibus plane et simpliciter assentietur? Et si forte reperientur multo plures quam expectamus; quid iis fiet qui aliter sentiunt? qui haud scio an non pauci futuri sint, quorum nulla haberi possit ratio: sed magna multitudo, non solum inter magistratos sed etiam in coetu ipso. Concedendum sane erit, ut suas quique societates ineamt suisque confessionibus utantur. Tum vero ad illam, de qua supra diximus, opinionem relabimur: sublimior illa et capacior quaedam unitas abiicitur: unius ecclesiae loco coetuum multitudo statuitur, quorum suas quisque sequatur leges neque ceteros curet. Quid igitur aliud efficitur, nisi ut unius coniunctissimae societatis auctoritate tuenda multitudinis dissolutae res agatur et separatim, qui dicitur, causa defendatur? Quid dicam, quam aliena sit haec ratio ab ecclesiae vere Christianae natura? quantopere sit timendum, ne summum in discrimen ipsa vocetur pietas? Videant enim, qui Americanarum rerum conditionem auctoritatemque laudant, ne paucorum annorum brevitate decipiantur. Id unum luce clarius, periculosam esse rationem, quae et vitae et usui inde ab emendatae disciplinae constitutione inter nos recepto plane contraria est, et a consuetudine ingenioque nostri populi omnino abhorret, quae denique ne rebus quidem publicis nostris videtur accommodata.

Quodsi nunc aliam rationem significabimus, adumbrasse rem satis habebimus, quam accurata descriptio et expositio diligentiam maiorem subtilioremque disquisitionem requirat, quam quae paucis verbis proponatur. Nec reticendum videtur, nos, etiamsi pluribus rem persequi liceret, quibusdam hominibus non esse satis facturos, qui facili opera gravissimam quaestionem dissolvere valent, quam cum adhibere diligentiam, quam res impedita sane ac gravissima requirit. Facilius ulique res componeretur, si leges certae ita constitui possent, ut omnes causae ex communibus cogitandi praeceptis illis subicerentur et secundum illas indicarentur; id quod fieri posse multis videtur, si, certis quibusdam symbolorum obligationibus adstricta, fides quoque et doctrina ad iuris legumque exempla et praecepta evigatur. Quae ratio cum maxime abhorreat a rebus sacris, quae liberalius tractari sese postulant, secundum spiritum, ut Scriptura ait, non ad legis literam: suffecerit profecto principia atque initia rei attingisse, a quibus proficiscendum nobis videtur, ut cum unitate ecclesiae libertas prioraque persuasionis firmitas servetur.

Ac primum quidem, cum tantam opinionum et decretorum varietatem haec sentiendi libertas aluerit atque enutrierit, quicumque ecclesiae evangelicae bene consulere volet, non tam excludi quam ferri et convinci volet eos, qui aliter sentiunt; ut medicum non cum laudamus, qui, ubi membrum aliquod morbo correptum est, nisi amputando et reseccando mederi aegroti nequit: sed huius artem pulcherrimam ac saluberrimam praedicamus, qui vitam viresque in illud reducit et restituit. Quocirca cavendum est, ne morae impatientes rem optimam nimis accelerando pessum demus. An nondum vidimus, conditionem rerum plane desperatam in meliorem mutatam esse nulla exclusionis sed veritatis solius vi ac potestate? Quidni nunc quoque, quidni in posterum huic conidamus? quidni eandem vim semper valitaram credamus? Quid quod praepostera illa seclusionis et reiectione et ecclesia dividitur atque infringitur, et fratres multi falsam in viam, quam eandem perniciosam habemus, protruduntur? quos patientia et amore in rectam revocatum iri sperandum est.

Alterum est, quod, quamvis constare debeat de fundamentis quibusdam primariisque fidei praeceptis, quae communi consensu probari necesse

est, si evangelicam et Christianam ecclesiam velimus esse: nihilo minus tamen hac ipsa in re cavendum est, ne nimiam horum multitudinem, nimium ambitum constituamus, ne denuo pristinos in errores incidamus, ne maiores nostros imitemur, qui quamvis articulos fundamentales et minus fundamentales distinguerent, fundamentalium numerum ita multiplicarunt, ut nulli non ad eos pertinere viderentur. Quodsi in vita communi amorem amicitiamque tolli negamus ingeniorum morumque diversitate, dummodo idem animus, eadem voluntas contineat homines ceteroquin diversos: quid est quod in rerum sacrarum societate, si quid ad absolutam fidei unitatem efficiendam desideratur, id Christiana caritate complere et ferre dubitemus?

Quamquam omnes quidem doctrinae partes commune quoddam vinculum habere et tam arto inter se nexu coniungi videntur, ut, ubi, quae sequuntur, in diversa abeunt, iure quodam principia quoque diversa esse existimes. Quamobrem si ad logicae tantum artis praecepta aestimanda essent omnia, ad fidei fundamentum referri possent vel levisima opinionum discrimina. Verum alia in his utendum ratione censemus, quae usu certum. Atque hanc ego tertiam quasi normam legemque habendam dico, ut fundamentale id tantum habeatur, quod ad vitam Christianam aliquid conferat. Plurimae enim et difficillimae quaestiones tum demum oriri solent, ubi fides ac religio ad scholae subtilitatem transferuntur. Itaque quo melius quis pietatis ac fidei adiumenta, quaecumque ad animos excitandos, sublevarios, confirmandos faciunt, aestimare didicerit: eo magis perspiciet, cum difficile sit illas ad perspicuitatem intellectumque communem deducere: tum ne maxima quidem opera effici posse, ut dignus Dei regno fructus ex iis percipiatur, quod in iustitia, in pace, in laetitia Sancti spiritus positum esse apostolus affirmat.

Nec alia est via, quam Joachimus elector, qui patriam nostram ecclesiam condidit, institutione sua ecclesiastica sapientissime munivit. Quamquam tum nondum praevideri poterat, quantam opinionum diversitatem de omnibus disciplinae partibus futura saecula gentura, aut quantopere earum multae ab evangelii fundamento aberratae essent; quare ne poterat quidem ratio eas tractandi singulatum praescribi; sed certe nusquam illa in lege praecisionis severitas, diversitatis condemnatio, leviorum praecepto-

rum inculcatio cernitur: nulla in verbis inest acerbitas: non audiuntur voces: relictissimus, repudiatus, damnatus: quae aliis in disciplinae formulis toties repetuntur: tantum ostenditur et explicatur simpliciter, ad quas res verbi divini ministri animos advertant; quas quidem vera fundamenta doctrinae evangelicae nemo non dixerit, vim evangelii expertus. Jesum Christum unum nostrum redemptorem, servatorem, vitae aeternae auctorem esse: nos sola in eum fide, sine ullo nostro merito, beatos reddi: quaecumque ille fecerit et perpressum sit, nostra causa nostramque in gratiam fecisse eum et perpressum esse: cum omni sua iustitia et maiestate, cum omnibus meritis eum nostrum factum esse: ipsius sanguine ablutos et ab omni macula purgatos nos sanctum eius esse populum, qui ab omni turpitudine alieni obedientia et bonis operibus gratiam ei agamus amoremque nostrum praestemus: haec tanquam praecipua doctrinae salutaris praecepta in praefatione. quam ipse scripsit, princeps praedicat; nec legis ipsius prima parte, qua de doctrina agitur, obscuriores illi ac difficiliore loci, de quibus maxime in scholis disputari solet, tractantur, sed summa Christianae disciplinae in eo ponitur, ut edoceatur populus de poenitentia et remissione peccatorum in nomine Domini, quique sequantur fructus poenitentiae et fidei; uberiorius autem disseritur de veteri et novo testamento, de vera poenitentia et confessione, de lege et evangelio, de cruce perferenda et precatione instituenda, de libero arbitrio et libertate Christiana. Quibus praeceptis si contenti fuissent posterius, tantis ecclesia nostra discordiis et turbis non fuisset lacerata, neque remedia, quae nescio an graviora malis fuerint, formularum illa vincula invenisset, nec vero horum rumpendorum specie ab iis, qui fidem ipsam impugnabant, multorum decepta esset simplicitas. Neque vero haec praecepta in illa lege ita traduntur, ut logicorum subtilitatem, scholasticorum trices, theologorum disputationes attingant; sed quemadmodum vitam Christianam constituunt, ita praescribuntur, ut fundamenta sint quietis, fiduciae, laetitiae: sanctionum, obedientiae, caritatis: solatii, constantiae, spei; quibus Christiani virtutibus a vulgo hominum distincti et secreti, inter semet ipsos coniuncti et consociati, unam ecclesiam, quae Domino placeat, efficiant. Sic igitur princeps ipse viam rationemque com-

monstravit, qua ea, quam unice concupiscebat, ecclesiae communio efficeretur, servaretur, absolveretur; ut ab ipso disci possit, quomodo sententia illa praedicta: in rebus necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas: quam saepe prolatam raro secuti esse homines reperiantur, in usum vitamque transferri possit.

Quodsi hanc rationem aptissimam, immo quae sola ad exitum perducere possit, indicamus ad unitatem ecclesiae ex evangelii praeceptis tuendam: quem alium auctorem sequimur, quam unum illum omnium certissimum minimeque fallacem, ipsam Scripturam sacram? Qua cum doceatur: ut filius in patre, paterque in filio sit, ita in illis unos esse debere, quicumque filio fidem habeant: cum turbae omnes seditionesque vehementissime vituperentur, et uno animo, una voluntate omnes consociati esse iubeantur: cum Paulum in primis summam operam arcentissimumque studium in eo ponere legamus, ut firmo fidei caritatisque vinculo ambas illas ecclesiae apostolicae partes, ex Judaeis et ex gentilibus oriundas, arcte contineat: iidem nimirum apostoli quam remoti sunt a sententiis subtilibus praeceptisque obligatoriis proferendis? quantum absunt ab ea opinione, ut normam quandam praescribant, eaque libertatem omnem ac proprietatem ingeniorum impediunt aut tollant? Uno quidem illo fundamento innituntur omnes, a quo nunquam discedunt, Jesu Christo, qui caro factus est; hunc non agnoscere, apostolus, qui unam semper caritatem praedicat, ipse Antichristi esse affirmat: hunc qui amore non amplectitur, eum condemnat Paulus. Quaecumque vero huic fundamento imponunt et superstruuntur, sive aurum sive argentum sive gemmae sive lignum sive stipulae, noluit ille quidem esse levia parvique facienda: sed dici indicium expectari iubet, id unum interim curans, ne domini templum diruatur aut disciatur.

Eadem vero est via, quam ex posteris Joachimi Electoris nobis ostendit et munivit is, qui nostro tempore pari veritatis studio, pari sapientia ecclesiam Brandenburgensem ab illo conditam tuetur, eiusque administrationem constituit et regit, Rex noster clementissimus et augustissimus. Cuius animus cum evangelii praeceptis imbutus ardentissimoque cum studio veritatem eius amplexus, dissidia ecclesiae nostrae ac dissensiones



latius per totam disciplinam diffusas, ac licentiam, quae usque ad publicum quoque Dei cultum penetraverat, graviter molesteque ferret: nec neglegenda ista statuit, nec doctrinae formulis, sive novis sive antiquis, obstringere et coercere voluit discordes: sed id unum egit, ut communis Dei cultus veram illam ac primariam Christianae fidei doctrinam referret atque exprimeret. Qua re nos admonuisse videtur, inter omnes dissensiones, quibus theologia etiam nunc dividitur, consensum eorum praeceptorum, quae docenda et explicanda sint in coetibus sacris, rationisque, qua illa Christianis tradantur, et finem esse, a quo nunquam aberrandum sit, et fundamentum fortasse societatis arctius et perfectius connectendae, quam aliquando initium iri speramus. Imprimis vero reconciliatione Lutheranae et Reformatae, quae dicitur, confessionis, quam ipse et ardentissimo desiderio expetiverat et diligentissimo studio adiuverat, quae per Deum optimum maximum in magna evangelicae ecclesiae parte perfecta est, hac igitur reconciliatione ea, quae propositum consilia, optime comprobata esse censemus. Etenim vera societas, qua nos omnes cum Christo et per eum inter nos coniuncti sumus, nusquam plenius, nusquam gravior, nusquam clarius cernitur quam coena Domini celebranda. Quum igitur cum apostolo non solum dicimus sed etiam sentimus, poculum benedictionis, ex quo bibimus, sanguinis eius esse communionem: panem, quem frangimus, communionem corporis Christi, atque adeo nos omnes unum corpus esse, quoniam unius panis sumus participes: quum hoc sensu permoti disceptationum quaestionumque de connexu, qui inter panem vinumque et corpus sanguinemque Christi intercedit, habitarem obliviscimur: quum denique omnis doctrinae diversitas prae beata illa intimae cum salvatore nostro unionis conscientia evanescit: tum profecto, quod quaerimus, plenissime assecuti sumus, neque quidquam exoptandum restat, nisi ut unitatis illa conscientia maneat ac vigeat omnes inter disceptationes atque contentiones.

Quamobrem ad Deum optimum maximum preces convertamus flagrantissimas, uti, quemadmodum ante trecentos annos coenam illam sacram ex Christi instituto a principe civitatisque primoribus sumtam: fundamentum esse voluit emendatae ecclesiae nostrae in patria constituendae: sic ex ea, quae in memoriam illius diei celebrabitur coena sacra, uberrimos et quam

plurimos redundare fructus iubeat: ut praesentissima aeternae sui filiique Jesu Christi communionis conscientia perfusis omnium animis, ecclesia nostra, post infausta dissidii turbarumque tempora, ad unitatem, Joachimi olim animo obversatam, magis magisque nitatur, unam veramque Dei civitatem repraesentatura.

Dixi.

### CHORUS.

Aix firma Deus, noster est,  
Is telum, quo vitamur.

Quis explicat ex omnibus  
Quis malis implicamur,  
Nam cui semper mos,  
Jam ter terret nos:

Per astum, per vim  
Saevam levat sitim;

Nil par: in terra illi.

In nobis nihil situm est,

Quo minus petamur!

Quem Deus ducent posuit,  
Is facit, ut vivamus.

Sed quis explicat ex omnibus  
Quis malis implicamur,  
Nam cui semper mos,  
Jam ter terret nos:

Per astum, per vim  
Saevam levat sitim;

Nil par: in terra illi.

In nobis nihil situm est,

Quo minus petamur!

Quem Deus ducent posuit,  
Is facit, ut vivamus.

Sed quis explicat ex omnibus  
Quis malis implicamur,  
Nam cui semper mos,  
Jam ter terret nos:

Per astum, per vim  
Saevam levat sitim;

Nil par: in terra illi.

In nobis nihil situm est,

Quo minus petamur!

Quem Deus ducent posuit,  
Is facit, ut vivamus.

Sed quis explicat ex omnibus  
Quis malis implicamur,  
Nam cui semper mos,  
Jam ter terret nos:

Per astum, per vim  
Saevam levat sitim;

Nil par: in terra illi.